

## CAPUT SEXTUM.

## Argumentum.

**P**rimum afflicti pij, quum alibi nihil restare auxilij intelligunt, ad Deum affligentem se ita convertunt, ut se invicem exhortentur, ejus pœnitentiæ salutaris fructum tum in alterâ, tum in hac vita exponant, eoque tardiores excitent. Deinde improbi & hypocritæ monentur graviter, quæ fiat, quod ipsi etiam tantorum bonorum, ipsis etiam partorum, non fiant participes, nimirum media à Deo ordinata negligunt, veramque pietatem non diligunt, sed Dei fœdus violant nefariè idololatriæ dediti, tam Israëlitæ, quam Judæi.

Variè hoc caput dividitur ab aliis pro varietate & diversitate explicationum, quum plerique versum quartum etiam in bonum accipiant. Sed illis omnibus resolutionibus suo loco relictis, sine præjudicio cujusquam illum vi phrasium commoti in malam interpretantes partem, hujus capituli partes esse duas dicimus: quarum prior per comparationem contrariorum antecedentibus & consequentibus obtestationibus inseritur, estque piorum ad pœnitentiam mutua cohortatio, cujus causa *ωεργατορλανη* à Deo immissa afflictio c. 5. v. ult. Hæc constat propositione, quæ est, *Revertamur ad Jehovam*; & confirmatione, in qua triplex argumentum: Primum à Dei miseratione & benignitate, qui vulnus inflictum solus sanat versu 1. Secundum à conversorum felicitate, quæ ipsis obtingit in Christo capite v. 2. Tertium ab eorundem ulteriori illuminatione per verbum, & renovatione v. 3. ubi si quis

Summa.

1.

2.

Analysis.

Partes

duæ:

Prior,

Hortatio

ad pœni-

tentiam,

argumen-

ta.

1.

2.

3.

Aa

pro